



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Capitvlo, Clero, Et populo Troianis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

tenus vocationem recipiens de te factam, ne divinæ dispositioni resistere videaris, ad præfatam Ecclesiam Ebredunensem accedas, eidem ita sollicitè curam studens impendere pastoralem ut ejusdem status juxta ipsius expectationem & nostram per tuæ sollicitudinis providentiam temporaliter & spiritualiter augeatur, & tu, sicut de gradu ad gradum, ita de virtute in virtutem proficere videaris. Palleum quoque, plenitudinem scilicet pontificalis officij, per dilectum filium magistrum Petrum Marcum Subdiaconum nostrum correctorem litterarum nostrarum, Ecclesiæ jamdictæ Canonicum, virum utique litteratum, providum & discretum, tuæ fraternitati transmittimus, sub ea forma tibi tradendum ab ipso quam eidem sub bulla nostra dedimus interclusam.

*In eundem ferè modum scriptum est Capitulo Ebredunensi usque interclusam. Quocirca mandamus quatenus ei sicut Archiepiscopo vestro humiliter intendentes, obedientiam & reverentiam exhibeatis eidem tam debitam quam devotam.*

*In eundem ferè modum clero & populo Ebredunensi. In eundem modum suffraganeis Ebredunensis Ecclesiæ, tamquam Metropolitanis vestris.*

**GERENNENSI EPISCOPO**  
*in Archiepiscopum Ebredunensem electo.*

*Epist. 178.  
De stato numero Canonico-*

**D**ilecti filij Capitulum Ebredunense nobis humiliter supplicarunt ut statutum de non excedendo duodenario Canonico numero in eorum Ecclesia dudum factum, & à bonæ memoriæ Clemente Papa prædecessore nostro postmodum confirmatum, apostolico dignemur munimine roborare. Volentes igitur ut ea quæ rationabiliter statuuntur robur obtineant firmitatis, mandamus quatenus statutum ipsum, salvo in omnibus apostolicæ sedis mandato, faciatis appellatione remota firmiter observari.

**CAPITULO, CLERO, ET**  
*populo Troianis.*

*Epist. 179.  
De electione Episcopi Troiani.*

**L**icet præsentia venerabilis fratris nostri Philippi Episcopi vestri tanto esset nobis acceptior quanto ipsum ad obsequia nostra longa consuetudo aptiorem reddiderat, & suæ devotionis ac fidei puritatis nobis & fratribus nostris effecerat caritatem, ex quo tamen vestra in eum desideria convenerunt, ipsum vobis paternâ benignitate duximus concedendum, sperantes quòd per ejus sollicitudinem cir-

cumspectam grata sint vobis & Ecclesiæ vestræ commoda proventura. Ut autem ipsum in nostris esse oculis gratiosum exhibita sibi specialis gratia demonstraret, eum in Lateranensi basilica demonstrare propriis consecravimus, vos quoque in hoc, si diligenter attenditis, honorantes. Quocirca universitatem vestram monemus & exhortamur attentius & per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus quatenus ei sicut pastori & Episcopo animarum vestrarum humiliter intendentes, obedientiam & reverentiam exhibeatis eidem tam debitam quam devotam, ejus salubria monita & statuta suscipientes humiliter & devotè servantes. Nos enim eidem dedimus in mandatis ut in contradictores, si qui fuerint, vel rebelles censuram curer ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo exercere. Datum Laterani 11. Idus Octobris, pontificatus nostri anno quintodecimo.

**CLERO ET POPULO**  
*Foietanis.*

**D**E dissensione inter vos & clerum ac populum Troianum exorta & illo dolemus debito generali quo inter omnes Ecclesiæ filios desiderare ac procurare tenemur unitatem & pacem, & affectu etiam speciali, quo cupimus ut venerabilis frater noster Philippus Episcopus vester populum obsequentem habeat & concordem. Nuper igitur . . . Archiepresbytero & quibusdam Clericis vestris ac Decano & quibusdam Ecclesiæ Troianæ Canonicis apud sedem apostolicam constitutis, ad procurandam concordiam inter vos & clerum ac populum antedictos interponere volumus partes nostras; sed dictis Decano & Canonicis respondentibus se super hoc non habere mandatum, nec etiam propter hoc fuisse vocatos, finalem super iis non potuimus habere processum. Volentes autem ut prædicta dissensio per nostræ sollicitudinis studium sopiatur, vobis & ipsis proximum festum Epiphaniæ terminum peremptorium assignamus; per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus eodem termino procuratores vestros sufficienter instructos ad nostram curiæ præsentiam destinare, ut hujusmodi quaestio per nos compositione amicabile vel judiciali calculo terminetur. Interim autem eidem Episcopo vestro humiliter intendentes, obedientiam & reverentiam exhibeatis tam debitam quam devotam. Alioquin sententiam quam rationabiliter tulerit in